



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. III. Qua ratione caritas in nobis augeatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

gogam siue populum Iudaeorum, sed ad Ecclesiam Gentium. unde etiam accidit Iudaeos id videntes fuisse scandalizatos & murmurasse contra vocationem Gentium, adeo vt maxima ex parte ac ferè omnes hac re offensi fidem Christi reiecerint ac oppugnarint. vt patet Act. 11. initio, & c. 13. v. 44. & 46. c. 14. v. 2. totaque epistola ad Rom. quam Apostolus præcipue scripsit, vt hoc scandalum tolleretur, vt patet ex toto contextu, & præsertim ex cap. 3. 4. & 9. & hac ratione tota parabola commodissime explicatur.

18 **CONCLUSIO II.** Caritas potest in vno esse maior quam in alio, & in eodem augeri. Est communis Catholicorum & certa: & sequitur ex concl. 1. vbi ostendi, sanctitatem siue gratiâ iustificantem in nobis augeri: caritas autem aut non est distincta à gratiâ iustificante, aut in eodem est semper cum hac æqualiter intensa. Deinde patet ex Scripturis, quæ docent caritatem in vno esse maiorem quam in alijs, ac in nobis perfici. Iohannis 15. *Maiorem caritatem nemo habet, &c.* I. Iohannis 4. *Perfecta caritas foras mittit timorem, &c.* Hinc D. Augustinus tract. 5. in Iohannem sub finem, *Caritas, inquit, meretur augeri, vt aucta mereatur perfici.* Idem docent alij Patres.

D V B I V M III.

Qua ratione caritas in nobis augeatur?

19 **S**uprà disp. 7. dub. 2. & disput. 8. dub. 9. & 10. ostendit Primò, nostros actus quantumvis supernaturales non producere physice habitum vllû supernaturalem, sed solum meritorie, aut per modum dispositionis moralis ad eorum productionem concurrere. Secundò, nos mereri augmentum gratiæ, & consequenter caritatis per quosvis actus bonos supernaturales in gratia factos, etiamsi habitu sint remissiores: illudque augmentum statim recipere. Tertiò, quæ ratione gratia siue caritas augeatur primo instanti ac reliquis sequentibus, quibus actus meritorius elicitur. Item tom. I. de Sacram. q. 62. a. 1. ostendi omnibus cum legitima dispositione. Sacramenta suscipientibus conferri augmentum gratiæ iustificantis, & consequenter etiam caritatis, quod etiam communiter à Catholicis admittitur. Iam restant nobis aliqua alia dubia explicanda: & primùm hoc dubio explicanda nobis est illa difficultas, quam tractat D. Thom. 2. 2. q. 24. ar. 5. vtrum caritas augeatur per additionem gradus ad gradum; quæ questio est quidem philosophica, & communis, non modò augmento omnium habituum, sed etiam omnium qualitarum: de his enim omnibus est difficultas an intendatur per additionem gradus ad gradum, an verò aliaratione: est tamen hic nobis explicanda. Primò, quia D. Thomas de ea disputat loco suprà citato, ita tamen vt de eius sensu ferè omnes dubitent. Secundò, quia illius explicatio est necessaria vt possimus soluere difficultatem Theologicam proponendam dub. 4. vt ibi patebit.

20 **Prima igitur sententia, quæ est ferè commu-**

nis Thomistarum, docet qualitatem non intendi per additionem noui gradus siue entitati: sed per eiusdem formæ ab initio productæ maiorem radicationem siue inhesionem in subiecto, siue per hoc quod subiectum ei magis subiiciatur, aut, vt alij dicunt, per hoc quod ipsa magis educatur è potentia subiecti. Fatentur quidem huius sententiæ Auctores formam quæ intenditur secundum suum esse perfici, volunt tamen hoc fieri sine vlla additione noui gradus: quomodo autem id fieri possit variè se explicant; quorum explanationes breuitatis causa, & quia ferè magis verbis quam re constant, hic referre omitto: nam ex dicendis res satis declarabitur. qui eas videre cupit, legat Vasquez 1. 2. disp. 82. cap. 2. vbi eas refert ac refutat.

Probant autem suam sententiam Primò, quia accidentis esse est inesse: ergo illud in se intendi siue perfici nihil est aliud, quam ipsum perfectius subiecto inesse. Secundò, quia vel gradus qui additur est eiusdem speciei cum eo qui præcedit, vel diuersæ: prius dici nequit, quia duo accidentia eiusdem speciei nequeunt esse in eodem subiecto. nec etiam secundum dici potest, quia sic qualitas intensa deberet constare ex duabus qualitatibus diuersæ speciei; quod absurdum est: ergo dicendum est intentionem non fieri per eiusmodi graduum additionem. Tertiò, quia essentia sunt sicut numeri, quibus nihil addi vel demi potest, nisi varietur species: ergo si essentia qualitatis, dum intenditur, aliquid adderetur, mutaretur ipsius species. Quartò, quia Aristoteles 4. Physicorum c. 9. textu 84. ait ex calido fieri magis calidum, nullo facto in materia calido, quod non esset calidum: ergo illud fit sine additione alienius gradus caloris. Quintò, quia motus localis intenditur & fit celerior sine additione alienius nonæ entitatis sola variatione alienius modi: ergo idem potest dici de quavis qualitate.

Sed si hæc sententia intelligatur prout verba sonant, ita scilicet vt velit qualitatē secundum se spectatæ, & prout distinguitur ab ipsa inhaerentia in subiecto, dum intenditur, nihil reale accedere, sed secundum se manentem inuariatam solum incipere perfectius inhaerere subiecto; videtur mihi apertæ rationi repugnare. Nam cum omnis qualitas naturaliter totaliter, & quantum potest subiecto suo inhaereat; fieri nequit vt aliqua incipiat perfectius inhaerere, nisi secundum se, & prout distinguitur ab ipsa inhaerentia, fiat perfectior: quod fieri nequit nisi ei sic præcisè aliqua perfectio accedat.

Secundò, quia si Deus calorem intensum & remissum poneret extra omne subiectum, ille esset in se perfectior & intensior, quam hic; cum tamen in neutro esset maior radicatio in subiecto: ergo illa maior intensio non consistit in maiore radicatione in subiecto.

Secunda pars antecedentis, scilicet quod tunc in neutro esset maior radicatio in subiecto, per se patet, quia in neutro esset vlla radicatio siue inhaerentia in subiecto. Prior pars probatur, quia eo casu illa accidentia vel aliquam haberent intensiorem (& tunc nulla est causa cur non possent habere eandem, quam habuerunt

Vasquez

21

Aristotel.

22

Qualitas debet in se perfici vt perfectius inhaereat.

Accidens, quod intensiorem habet extra subiectum, scilicet subiecto.

in

in subiecto: nec enim vlla est ratio cur in eo statu potius possint habere parvam intensionem, quam magnam) vel nullam intensionem haberent; & hoc dici nequit, quia sicut accidens esse nequit sine vlla perfectione, ita etiam nequit esse sine vlla intensione, quia eius perfectio consistit in intensione. Imò hinc clarè sequitur, intensionem accidentis nullo modo consistere in illa inhaesione in subiecto; quia aliàs sicut in accidente existente extra subiectum nulla est inhaesio, ita nulla in eo esset intensio. quod nullo modo dici potest: nam omne accidens, sicut necessariò habet aliquam perfectionem, ita etiam necessariò habet aliquam intensionem.

23

Qua ratione
sic verum
accidentis
esse, est in-
esse.

Tertiò, quia illa sententia nititur fundamento aut apertè falso, aut nihil omnino ad rem præsentem faciente. nam illud axioma, *Accidens esse est inesse*; vel ita intelligitur quasi accidens secundum se nihil sit aliud quam sua inhaerentia, & ab hac omnino indistinctum ac inseparabile (prout intelligendum est ut faciat ad rem) & sic apertè est falsum: nam fide constat accidens posse existere extra subiectum, & consequenter separatam ab omni inhaerentia. Vel ita intelligitur ut solum velit accidens non posse naturaliter existere nisi inhaerendo alicui subiecto; & sic nihil facit ad rem: nam cum hoc optimè consistit, ipsius essentiam siue ipsum accidens secundum se esse distinctum à sua inhaerentia, & aliud omnino esse ipsum secundum se perfici, aliud verò ipsius inhaerentiam perfici; sicut aliud est ipsum secundum se fieri, aliud verò ipsius inhaerentiam fieri: & hæc optimè possunt inter se separari, ut si Deus creet accidens extra omne subiectum, accidens sensim intendat; quo casu nec fiet, nec perficietur aliquod ipsum inesse; & tamen ipsum secundum se & fiet & perficietur, siue intenderetur.

Accidens
potest fieri
& intendi,
et si eius in-
haerentia nec
fiat, nec in-
tendatur.

24

Ex quibus apertè sequitur, quòd, sicut accidentis esse siue essentia, verè distinguitur & separari potest à sua inhaerentia: ita, præsertim formaliter loquendo, aliud omnino sit accidens secundum se perfici siue intendi, aliud verò ipsius inhaerentiam perfici. Et quamquam naturaliter illud nunquam possit perfici, quin hæc etiam perficiatur: tamen hæc formaliter distincta sunt, & separari possunt, ut patet in accidente existente extra subiectum; & consequenter formaliter loquendo accidens non perficitur per hoc præcisè quòd eius inhaerentia perficitur, siue per maiorem radicationem in subiecto. Et credo D. Thom. nihil aliud velle, quam hæc naturaliter non posse separari, siue accides non posse intendi per additionem alicuius entitatis, quæ ex potentia subiecti non educatur: nam, ut iam ostendi, eius præcipuum fundamentum nihil aliud probat.

D. Thom.

25

Gradus gra-
dus additus
non consti-
tuit novum
accidens.

Ex his patet solutio primi argumenti allati n. 21. Ad secundum, Respondeo gradum additum esse eiusdem speciei cum præcedente; componere tamen cum eo idem numero accidens; & sic non sequi, duo accidentia eiusdem speciei esse in eodem subiecto.

Ad tertium, Respondeo illud axioma intelligendum esse de additione alicuius prædicari essentialis, quæ fieri nequit sine variatione ef-

sentia: non autem de additione perfectionis non essentialis.

Ad quartum, Respondeo Aristotelem ibi solum dicere, dum calor intenditur, nullam subiecti partem fieri calidam, quæ antè non erat calida; sed eandem partem fieri magis calidam, quod libenter fateamur.

Ad quintum, Respondeo, si motus accipitur pro ipso impetu qui moto imprimatur, nego antecedens; hic enim intenditur, sicut aliæ qualitates per additionem alicuius entitatis realis. si autem accipitur præcisè pro continua acquisitione novi loci, quæ illum impetum consequitur, sic nego consequentiam; quia aut motus sic acceptus nihil omnino est reale distinctum etiam formaliter ab ipso impetu ad quem consequitur; aut ut summum, est aliquis modus in ipso moto, qui propriè in se non intenditur, per intensionem ipsius motus, sed solum alius atque alius breuiore tempore acquiritur. quare non est mirum si non perficiatur, siue intendatur per additionem alicuius distinctæ entitatis: scilicet est de qualitate, quæ est ens reale realiter ab alijs distinctum, & dum intenditur in se perficitur.

Secunda sententia est Durandi in 1. dist. 17. q. 7. ubi contendit qualitatem intendi per novum gradum acquisitionem, qui priore sit perfectior; ita tamen ut hoc accedente prior perdat, sicut corpus quod movetur acquisito vno ubi, perdit aliud: atque ita docet, qualitatem, dum intenditur, manere vnam non secundum suam partium permanentiam, sed secundum continuationem, sicut motus manet vnus.

Probat Primò, quia in omni motu terminus à quo perditur accedente termino ad quem: sed intensio qualitatis est quidam motus, & gradus remissior est terminus à quo, & gradus intensior est terminus ad quem: ergo hoc adueniente ille perditur.

Secundò, quia, si uterque gradus maneret simul, sequeretur, duas formas eiusdem speciei posse manere simul in eodem subiecto.

Tertiò, quia in omni mutatione formæ variantur, & solum subiectum manet idem: atqui intensio est quedam mutatio: ergo in ea solum subiectum manet idem.

Quartò, quia vel agens intendens formam producit aliquid diuersum à priore, & sic non manebit eadem forma, quæ erat prius: vel non producit aliquid diuersum, & sic nulla fiet variatio, & consequenter nec fiet intensio.

Quintò, quia motus in compossibilibus habent terminos in compossibiles: atqui intensio & remissio sunt motus in compossibiles: ergo eorum termini, scilicet qualitas intenta & remissa, sunt in compossibiles, & nequeunt simul esse in eodem subiecto.

Hanc sententiam fusè refutant Vafquez 1. 2. disp. 82. c. 4. & Suarez in Metaphys. tom. 2. disp. 46. sect. 2. Vnicum argumentum contra eam hic adferam, quod meo iudicio apertè conuincit eam esse falsam; nam ex ea sequeretur, nullam qualitatem per agens contrarium posse successe remitti: nam secundum eam sicut intensio fit per acquisitionem gradus perfectioris, & amissio

27

Vafquez

Summa.

amissionem gradus precedentis; ita remissio deberet fieri per perditionem gradus perfectioris, & acquisitionem imperfectioris; quod in casu dicto fieri nullo modo posset; quia nullum esset agens, quod gradum remissiorē produceret. v. c. ponatur aqua calida vt quinq; in loco frigido, illa secundum Durandum nō habet in se primum, secundum, tertium aut quartum gradum caloris, sed precisē quintum. dum hic igitur per remissionem perit, peto quod agens ibi producat quartum gradum, & hoc pereunte tertium: certē cum hoc nequeat fieri nisi ab aliquo vicino calido, quod hic nullum est, nullo modo fieri poterit, & consequenter ea aqua non succēssuē, sed in instanti debet omnem calorem perdere: quod aperte repugnat experientia.

Dices, cum gradum produciat à Deo, ne omnis calor in instanti pereat, aut à quinto gradu caloris iam pereunte.

Sed neutrum probabiliter dici potest: nam prius sine vilo fundamento fingitur, nec enim vllum esset incommodum calorem in aqua in momento perire, sicut lux in aëre absente luminoso subito perit, atque ita aquam in instanti fieri frigidam: nam frigus posset in instanti produci nisi obstitet contrarius calor, nec est vlla ratio cur Deus hoc debeat impedire productione caloris minus intenso, qui succedat gradui pereunti. Secundum etiam dici nequit, quia vel quintus gradus producit quartum dum adhuc existit, & sic uterque gradus erit simul, quod negat Durandus. vel dum iam esse desijt, & hoc fieri nequit, quia nihil potest physicē agere dum non est.

Ad primum argumentum positum num. 26. Respondeo maiorem solum esse veram de termino à quo formaliter sumpto, scilicet quatenus includit priuationem termini ad quem (quæ in omni alteratione ac generatione propriè ac formaliter loquendo est terminus à quo) aut cum eo necessariam connexionem habet; sicut respectu eiusdem Dei naturaliter loquendo vnus locus habet connexionem cum priuatione alterius, & calor cum priuatione frigoris. Gradus autem remissus secundum se non est formaliter terminus à quo respectu gradus intensioris; sed solum quatenus est remissus, & dicit priuationem intensioris gradus: atque ita hoc accedente solum perit secundum hanc priuationē: quia non manet remissus, sed intenditur per accessum ac coniunctionem alterius gradus, sicut in augmento quantitatis minor quantitas non perit accedente maiore, nisi secundum rationem minoritatis.

Ad secundum, nego assumptū; nam illi duo gradus constituunt vnā eandemque qualitatem ex ipsis compositam.

Ad tertium, nego maiorem generatim sumptam: solum enim est vera de formis quæ se habent vt terminus à quo, & ad quem; & quatenus se ita habent: vt patet ex dictis ad primum argumentum. aliàs dum lac calefit, non solum frigus, sed etiam albedo deberet in eo perire.

Ad quartum, Respondeo in intentione qualitatis produci aliquid secundum se distinctum

à priore gradu siue forma secundum se spectata; illud tamen hanc non expellere, sed cum ea vnā integram formam componere; sicut in accretione id quod de nouo aggeneratur, cum priore idem quantum componit.

Ad quintum, concedo totum loquendo de gradibus remissis & intensis formaliter sumptis, & quatenus sunt termini intentionis aut remissionis. vt sic enim non possunt esse simul in eodem. cum hoc tamen consistit quod secundum entitatem suam possint esse simul in eodem; vt patet ex responsione ad primum.

Tertia igitur sententia docet, intentionem qualitatum fieri per additionem gradus ad gradum. ita Scotus in 1. dist. 17. q. 3. §. Ad istam quæst. Gregor. ibidem q. 4. a. 1. Bonauent. p. 2. art. 1. q. 1. Occam q. 6. Gabriel q. 4. art. 2. Martil. in 2. qu. 1. not. 8. Henric. quodlib. 3. q. 5. & quodlib. 4. q. 15. Vasquez 1. 2. disp. 82. c. 3. Suarez tom. 2. Metaph. disp. 46. sect. 2. & alij plurimi.

Probat autem hæc sententia præcipue, quia, vt patet ex refutatione aliarum, nisi dicamus qualitatem dum intenditur aliquam nouam entitatem accipere, quæ priori gradui coniuncta aliquid perfectius efficiat, intelligi nequit quæ ratione ipsa possit intendi ac in se verè perfici: constat autem eam dum intenditur in se verè perfici.

Supradicti verò Auctores dupliciter suam sententiam explicant. Quidam enim docent, omnes gradus quibus qualitas intenditur, esse eiusdem omnino rationis, atque ad eodē inter eos per se siue ex natura rei non esse essentialē ordinem, sed solum accidentalem, quatenus vnus gradus producit primo loco, alter secundus, alter tertius, &c. qualis ordo est inter lateres quibus aliquis murus extruitur. ita cum multis recentioribus Malderus 2. 2. q. 24. ar. 5. Ex antiquioribus eidem fauet Occam citatus nu. 31. & quidam alij ibidem citati docentes, hos gradus esse homogeneos. Sed omnes eos gradus vocant homogeneos qui sunt eiusdem speciei: solum hæc probant quemuis gradum caritatis esse caritatem. quod alij non negant. vnde Vasquez 1. 2. disp. 82. c. 2. initio docet, antiquos hanc disputationem non attigisse.

Probat autem hæc sententia. Primò, quia hac ratione potest sufficienter defendi ac declarari quomodo fiat intensio: ergo non est opus hic fingere illos gradus inter se esse inæqualis perfectionis, cum nulla necessitas nos ad id cogat. Secundò, quia caritas quæ augetur, v. c. sex operibus bonis æqualis omnino inter se bonitatis, eodem omnino modo augetur quocunque ordine illa opera fiant, & siue illud quod fit vltimo loco, fiat primo, vel contrā: atqui hoc esset falsum si gradus quibus intenditur essent dissimiles: ergo hoc non est dicendum. Tertio, si gradus essent inter se dissimiles ac sibi mutuo subordinati, ita vt vnus alterum supponeret, sequeretur etiam eorum partes (in quas singuli secundum communem sententiam sunt adhuc in infinitum diuisibiles) similiter sibi esse subordinatas, ac se mutuo supponere: atqui hoc est falsum: ergo & id vnde sequitur. Minor probatur, quia in omnibus rebus sibi subordinatis debet

Nullus esset incommodum calorem in instanti perire, si frigiditatem haberet sufficientem ad hoc virtutē.

Gradus qui perit nequit alium producere.

Scotus.
Gregor.
S. Bonau.
Occam.
Gabriel.
Martil.
Henric.
Vasquez.
Suarez.

Malder.
Occam.
Vasquez.

33

debet dari aliquod primum, ne aliis detur processus in infinitum: atqui falsum est in qualitate productione dari aliquam talem partem determinatam à qua ipsa productio necessariò primò incipit, cum quacumque parte caloris data possit dari minor siue remissior: ergo etiam falsum est in partibus caloris dari talem subordinationem. Quartò, quia aliis gradus secundus esset diuersæ speciei à gradu primo: atqui hoc est falsum: ergo & illud. Maior patet, quia quæcumque differunt inter se plus quam differunt illa quæ solo numero differunt, differunt specie; sed tunc gradus secundus differet magis à primo, quam duo primi inter se: ergo differret specie à primo. Quintò, quia secundum aliam sententiam secundus gradus contineret eminenter omnem perfectionem prioris: ergo eo adueniente frustra esset prior, & consequenter expelleretur per secundum, Sextò, quia speculū caulicum per collectionem radiorum solis producit in certo puncto lumen multò intensius, quàm in se habeat: atqui hoc fieri non posset, si gradus intensiois essent heterogenei: ergo hoc non est dicendum.

34 Sed mihi semper visa est probabilior illa sententia, quæ docet hos gradus esse dissimiles, & posteriores esse perfectiores prioribus, idemque dicendum de singulorum graduum partibus, in quas possunt ulterius diuidi. Ita Suarez tom. 2. Metaph. disput. 46. sect. 1. n. 38. Lorca 2.2. sect. 3. disp. 14. in appendice. Hurtado de Generatione disp. 5. sect. 6. Probatur Primò, quia in calore, v. c. intenso secundum communem modum loquendi, præsertim Auctorum tertiæ sententiæ, verè reperiuntur diuersi gradus caloris: atqui hoc propriè loquendo esset falsum, si omnes illius caloris partes essent inter se omnino similes: ergo dicendum est eos non esse inter se similes. Minor probatur, quia si essent inter se omnino similes, nec dicerent inter se vllum ordinem, nec in vilo illorum esset vlla ratio: cur potius esset primus gradus, quam secundus aut tertius: atqui diuersi gradus constituentes aliquod totum necessariò dicunt certum inter se ordinem, in quo vnus alterum superat, ita vt vnus respectu alterius sit primus, alter secundus, alter tertius: ergo dicendum est illas partes non esse inter se omnino similes.

Suarez.
Lorca.
Hurtado.

Vt aliqua
constituant
inter se di-
stinctos gra-
dus, debent
inter se di-
stincte ordinē.

35 Dices, esse ordinem inter has partes quatenus vnus produciatur post alium, ideoque constituit secundum gradum. Sed hic ordo est omnino per accidens & denominatio planè extrinseca, & transacta ipsa productione qualitate nihil ponit in re, per quod vnus gradus ab alio possit distingui, aut vnus dici superior altero: ergo omnino nihil facit ad rem præsentē. Confirmatur, quia si gradus quibus ad locum superiorem est ascendendum (à quibus illa denominatio graduum intensiois sumpta est) ita collocarentur, vt vnus in ordine ad locum non superaret alterum, quantumvis vnus poneretur ante alium, nullo tamen modo constituerent veros gradus, nec vnus posset dici gradus primus, alter secundus, &c. ergo similiter in qualitate si vna pars aliam solo tempore, non autem ordine perfectionis superet, nulla est ra-

tio cur in ratione gradus vna sit prior altera; cum in hoc non sit attendenda prioritas temporis, sed prioritas siue eminentia in perfectione: sicut in gradibus quibus altior locus ascenditur, vt vnus sit primus, alter secundus, attenditur sola eminentia loci. vnde aperte sequitur, secundum aliam sententiam illas partes qualitate verè non constituere inter se ordinem graduum, sed aggregatum per accidens, sicut lapides temere eodem loco congestos.

Dices Secundò, ideo partem caloris posterius productam habere rationem secundi gradus, quia perficit priorem. Sed contra, nulla est ratio cur pars posterius producta potius perficiat priorem quam contra, cum vna non magis eleuet alteram ad aliquod esse perfectius, quam ab ea eleuetur; quòd enim vna prius, altera posterius producat, est ijs planè per accidens; nam ex se hunc ordinem secundum illam sententiam non exigunt; & postquam vtrique pars iam est producta, hoc nullam omnino inter eas differentiam ponit; sicut nec inter lapides temere congestos, quòd vnus ponatur prius, & alter postea. Confirmatur, quia secundum illam sententiam quando qualitas intensa tota produci-
36 tur in instanti, prout accidit in productione luminis, nullus tunc esset gradus primus aut posterius, sed omnes omnino essent æquales, atque ita solum esset vnus gradus, aut potius nullus; quia inter partes illius qualitate nullus omnino esset ordo, nec vllum omnino fundamentum vllum inter eas ordinem fingendi: cum igitur gradus dicant inter se aliquem ordinem, nullus ibi posset esse gradus, & consequenter nec intensio, quæ aperte falsa sunt.

Probatur Secundò, quia secundum illam sententiam nulla esset causa cur calidum vt duo v. c. non possit in alio calido vt duo adhuc alios duos gradus caloris producere; nam cum hoc sit adhuc capax duorum graduum caloris similium ijs quos alteri calidum potest producere, nulla est ratio cur hoc non possit eos producere in calido vt duo quàm in non calido; cum calidum vt duo sit magis dispositum ad recipiendum illos duos gradus caloris, quàm omnino non calidum. quod patet, quia calidum vt quattuor tertium & quartum gradum facilius producat in calido vt duo, quàm in non calido.

38 Dices, id fieri, quia agens solum intendit effectum sibi assimilare, ideoque non agit in id, quod iam reperit sibi simile: calidum autem vt duo est iam simile alteri calido vt duo. Respondet, hunc modum argumentandi manifestè errare, non distinguendo inter hæc, naturam intendere aliquid sibi assimilare, & eam præcise intendere vt aliquid sibi sit simile. Prius sanè intellectum verum est, vt mox ostendatur; secundum est falsum: nam aliàs quoties agens reperit aliquid sibi simile, aut saltem quoties rem aliquam sibi similem produxisset, quasi obtento perfectè omni suo fine desineret in res alias agere, nec eam sibi assimilare, quod patet esse falsum. Quare dicendum est rebus creatis virtutem agendi datam esse, non vt res alia ipsis similis quacumque ratione existat; sed vt se ipsas quantum possent cuius alteri rei communica-
rent,

Agens non
intendit pro-
pter se alia
res sibi sit
similis, sed
ut eam sibi
assimilet, ut
vt suam ci-
uitatem ratio-
nificet.

Agens pri-
mo & per
intendit fui
communi-
cationem,
affimilationem
confe-
cutiue.

rent, atque ita in varijs suis effectibus suum ef-
fe quantum possent perpetuarent. Vnum quod-
que igitur agens primò & per se intendit sei-
psum alteri communicare, siue aliquid sibi simi-
le in eo producere, atque ita consequenter in-
tendit illud sibi assimilare, non tam vt passum
sit sibi simile, quàm vt se ipsum huic communi-
cet; quod agens directe & per se intendit: assi-
milationem verò solum consequenter, quate-
nus ex priore necessariò sequitur. Quare calidū
v. c. vt quatuor quantumvis in plurimis subie-
ctis vt quatuor reperiat suam formam produ-
ctam; tamen quandiu reperit aliquid sibi ap-
proximatum quod sit capax alicuius gradus ca-
loris, quem potest producere, hunc in eo pro-
ducit. Cùm igitur calidum vt quatuor secun-
dum aliam sententiam sit adhuc capax alicuius
gradus caloris, quem potest calidum vt qua-
tuor producere; sequitur vnum calidū vt qua-
tuor posse adhuc producere calorem in alio ca-
lido vt quatuor; atque ita duo calida vt qua-
tuor poterunt se mutuo intendere vsque ad
octo. quod aperte falsum est.

39 Probatum Tertiò, ponamus vno loco aliquid
corpus calidum vt octo, & Deum alio loco po-
nere octo calida vt vnum, penetratiue omnino
in eodem loco: & deinde vtriusque caloribus in
suo esse conseruatis subtrahere omne subie-
ctum: Peto, an hoc casu illi posteriores gradus
caloris aequiualebunt illi priori calori vt octo,
constituendo calorem verè intensum vt octo
potentem producere alium calorem intensum
vt octo. Si affirmes, sequitur apertum absur-
dum, scilicet octo illos calores habere octies
maior vim agendi positos extra subiectum
quàm habebant prius dum essent in suis sub-
iectis: nam prius solum poterant producere ca-
lorem vt vnum, postea verò producerent ca-
lorem vt octo: aperte autem videtur absurdum,
calorem tantum perfici in virtute agendi per
hoc precisè, quòd careat subiecto.

40 Si verò dicas hos octo gradus solum pro-
ducturos calorem vt vnum; reddenda erit ra-
tio, cur hi octo gradus caloris tanto minorem
habeant vim agendi præ illis qui fuerunt in eo-
dem subiecto; cùm inter eos in perfectione nul-
la possit assignari differentia: sunt enim secun-
dum se omnino eiusdem naturæ & perfectio-
nis, & æqualiter inter se loco vniti; & quòd
prius fuerint in eodem, aut in diuersis subie-
ctis, est denominatio ijs iam planè extrinseca,
cùm nullum in ijs effectum relinquit.

41 Dices Primò, priores octo gradus inter se
habere aliquam vnionem, ideòque simul con-
stituere aliquid vnum perfectius, quàm singuli
sint per se; secus esse de secundis gradibus, qui
sicut non constituunt aliquid vnum, ita nec
constituunt aliquid perfectius. Sed contrà facit
Primò, quòd nequeat explicari qualis sit ista
vnio, & quare potius reperiat inter hos gra-
dus, quàm inter illos: aut quare hi se mutuo
magis perficiant, quàm illi; cùm omnes sint
eiusdem naturæ & rationis, & ex se æqualiter ap-
ti vt se mutuo perficiant, sibi que vniantur.
Etsi enim cur vni magis se mutuo perficiant
quàm alij, aliqua apparens fortè ratio videat-

tur posse afferri quando priores sunt in eodem
subiecto, reliqui in diuersis: tamen quando v-
trique ponuntur extra subiectum, & omnes illi
similiter atque hi simul in eodem loco pene-
tratiue se habentes; nescio quanam vel appa-
rens hic possit adferri ratio, cur illi potius se
mutuo perficiant, vnumque calorem consti-
tuant, quàm hi. Secundò, contra eam responsio-
nem facit, quia, etsi concedamus priores gra-
dus aliter inter se vniri, quàm secundos; tamen
non videtur verosimile, illam solam diuersitatē
vnionis posse adeò variare virtutem agendi, vt
priores hanc octuplo maiorem habeant quàm
posteriores.

Dices fortè Secundò, octo illa corpora calida
vt vnum posita penetratiue simul in eodem lo-
co productura calorem vt octo, si solum sint ca-
lida, & nullum habeant in se frigus; vt contin-
geret in lumine, si penetratiue simul poneren-
tur octo corpora lucida vt vnum, quæ tunc pro-
ducerent lumen vt octo. Sed hoc repugnat a-
pertè supposito alterius sententiæ, scilicet v-
numquodque sua actione solum intendere pas-
sum sibi assimilare, quo posito desinit agere.
nam illa octo lucida, cùm essent solum lucida
vt vnum, vt passum sibi assimilarent, tantum de-
berent illud facere lucidum vt vnum; sicut fa-
cerent si essent solum iuxta se posita: nam alias
augendo ipsius lucem, non tam illud sibi assi-
milarent, quàm facerent dissimile. Item inde
sequeretur, quòd octo calores intensi vt vnum
posset producere in octo diuersis subiectis
octo calores intensos vt octo, atque ita effectus
esset octies perfectiores suis causis. quod aper-
tè absurdum est.

Probatum Quartò, quia secundum aliam sen-
tentiam non apparet quaratione qualitas possit
sensum remitti per introductionem formæ con-
trariæ, v. c. quomodo calor vt octo remittatur
vno gradu per introductionem vnus gradus
frigoris: cùm enim secundum illam sententiam
hic gradus frigoris æqualiter repugnet omni-
bus gradibus caloris expellendi, nulla est ratio
cur potius vnum expellat quàm alium; & con-
sequenter vel omnes expellet vel nullum. quo-
rum vtrumque aperte falsum est.

Respondent aliqui Primò, illum gradum pri-
mò expelli, qui vltimò fuit inductus, sicut in
dissolutione domus illa pars primò tollitur, quæ
vltimò fuit posita. Sed hoc exemplum nihil fa-
cit ad rem; & si ad rem faceret, probaret aperte
contrarium. Prius patet: nam quòd in dissolu-
tione domus primò conuellamus summitatem
tecti, non fit quia hæc pars est vltimò posita, sed
quia ordine suprema est, alijsque innititur, ita vt
alijs sublati nullo modo possit consistere, sed
necessariò corrui ac frangitur. Secus est in illis
gradibus caloris, quorum vltimus secundum
illam sententiam non innititur necessariò prio-
ribus, sed potest his sublati naturaliter consi-
stere: nec hi gradus vllum dicunt inter se natu-
ralem ordinem, nisi extrinsecum & per acci-
dens ratione prioritatis productionis, qui nihil
facit ad rem præsentem.

Quòd autem hoc exemplum potius contra-
rium probet, patet. quia tunc solum in domus
dissol-

dissolutione incipimus à recto, quando volumus materiam ex qua constructa est, seruare integram, aliàs volentes aliquam domum euertere sæpè à fundamentis incipiunt, quibus destruetis tota statim corruit; & sic sæpius causæ naturales, v. c. inundatio fluminum, terræ motus, & similia, primò euertunt fundamenta, & sic domû destrunt, quia non curant in ea quidquam seruare integrum. Quare si exemplum faciat ad rem, cum agens naturale intendens introducere frigus in subiectum calidum intendat totum calorem quàm potest citissimè omnino destruere, ita vt nihil ex eo remaneat, vt possit facilius suam formam inducere, deberet potius statim tollere primum gradum, vt reliqui omnes corruerent, atque ita statim tolleretur omne impedimentum formæ introducendæ.

His adde, secundum illam responsionem saltem qualitatem in instanti productam non posse ita paulatim remitti; quia tunc inter ipsius gradus nullus omnino potest assignari ordo, & consequenter nec ratio, cur remissio incipiat potius ab hoc gradu quàm ab alio.

Respondent igitur alij Secundò, Deum in eiusmodi casibus determinare certum gradum à quo incipiat fieri remissio. Sed hoc est miserum pro philosopho refugium, quod euertit omnem rationem argumentandi ab experientia. Si enim semel incipiamus ea, quæ apertè experimur fieri, negare fieri ex exigentia & vi ac modo naturali agendi causarum naturalium, eaque tribuere singulari Dei voluntati ac operationi res varias determinanti vt hoc vel illo modo fiant; facile erit aperta hac via ulterius progredi, & negare ignem ex se habere vim expellendi frigus ex aqua: ac asserere frigus in aqua igni appolita paulatim desinere, præcisè quia Deus ei subtrahit suum concursum; aliàs aut ignem nihil acturum, aut frigus & calorem naturaliter simul futura in eodè subiecto: ideoque ne hoc fiat Deum suū concursum frigori subtrahere. Hoc autem gradu facto, negabo ignem potius esse calidum quàm frigidum, aut habere vllam vim producendi calorem; dicamque Deum ad ipsius præsentiam producere calorem in obiectis ei appolitis. & quis me tandem per vllam experientiam aut rationem refutabit? Et sanè quidam vt suam philosophiam hac ratione faciliunt, multasque difficultates fugiant, procul hac via progressi sunt: quos impressis thesibus publicè audiui defendentes, non aliam ob causam nos impediri quo minùs tam facile crassissimum murum, quàm liquidum ærem penetremus; quàm quia Deus volentibus illum penetrare concursum denegat. Consequenter etiam poterant dicere (& credo etiam tenuisse quantum memini) quòd non tam facile possumus videre per corpus opacum quàm per diaphanum, in tenebris quàm in luce; quòd nequeamus instar auium volare, &c. non tam fieri ob defectum naturalis facultatis, quàm quia Deus nobis còncursum ad ea denegat. Quid ni hi procedant ulterius, asserantque nobis quo minùs oculis corporeis naturaliter intueamur spiritum; bruto quo minùs intelligat; glaciæ quo minùs

calefaciat; igni quo minùs frige faciat, solum Dei deesse concursum? qua tandem experientia aut ratione talia asserentes conuincas? negati solem lucere, qua tandem alia luce suum errorem ostendes? Iudicauit hæc breuiter (quæ fortè Deo dante aliàs ex professo prosequar) data occasione indicanda, vt omnes videant ad quæ præcipitia eiusmodi viæ ducant.

In nostra sententia facile hac difficultate nos expedimus; nam secundum hanc posteriores gradus ex natura sua ita supponunt priores, vt non magis possint sine ijs consistere, quàm tectum sine fundamento. Item cum posteriores sint perfectiores minùs secum compatiuntur vllam formam sibi contrariam. vnde etiam accidit Primò (vt aperta etiam docet experientia) quòd gradus intensi siue posteriores, præsertim in subiectis in quibus non insunt naturaliter, difficilius & producantur & conseruentur, quàm gradus remissi, siue priores; quia quæuis res extra locum suum siue subiectum naturale, facilius consistit in infimo gradu perfectionis, quàm in summo, quia hic longè facilius læditur quàm ille.

Accidit Secundò, quòd primus gradus frigoris non sit impossibilis primo gradui caloris, sed solum octauo, & hunc, non autem alios expellat; quia solus gradus octauus calorem in summa sua naturali perfectione constituit, ideoque huic soli quæuis forma contraria quantumvis remissa repugnat, non autem alijs gradibus, ideoque etiam ille ante hos expellitur.

Ad primum argumentum contrarium positum n. 33. negandum est anteced. vt patet ex dictis.

Ad secundum, nego minorem; quia illi actus cum solum meritorie gratiam augeant, nullum dicunt ordinem ad hos potius gradus, quàm ad illos. Hoc tamen notandum, quia posteriores perfectiores sunt prioribus, priores actus ceteris paribus mereri plures gradus augmenti gratiæ, quàm posteriores, vt dub. 4. dicemus.

Ad tertium, nego minorem. Ad probationem, nego maiorem: fallit enim in rebus, quæ possunt syncategorematicè in infinitum diuidi. Quia aliàs ne quidem secundum alteram sententiam posset vllus calor successiue intendi. nam omnis intensio qua talis supponit aliquem calorem productum; & quæuis ipsius determinata pars supponit vnā aliam se remissiore, v. c. intentio vt vnum intensionem vnus medij gradus, & hæc intensionem medietatis medij gradus, & sic in infinitum. Item sequeretur, nullam posse dari progressionem aut recessum localem ab aliqua re; quia quæuis determinata horum pars supponit aliam minorem; nec potest dari determinata pars qua non sit minor, à qua prius inceperit recessus: vnde similiter inferes eam numquam incepisse, nec dari vllum motum, ne detur progressus in infinitum.

Ad quartum, nego maiorem, eiusque probationem. quia inde sequeretur, etiam secundum aliam sententiam, calorem vt duo differre spe-

Transfere-
tes determi-
nationem a-
ctionis cau-
sarum crea-
tarum in
Deum omne
rationem
philosophi-
di euerunt.

47

Cur dan
qualitas
remissio
superiores
gradus po-
tius petant

Solutio
dus perfe-
ctissimus o-
mni gradus
formæ con-
trariæ repu-
gnat.

48

49

cie

D V B I V M IV.

Utrum per singulos actus caritatis tot gradibus habitus augeatur, quot in ipsis actibus continentur?

Sensus quaestionis est, utrum eliciens, v. c. actum caritatis vt 6. recipiat sex gradus augmenti ipsius habitus; & eliciens actum tam intensum atque est suus habitus, duplicet suū habitum; ita vt postea habeat duplo maiore quam antea habebat: hanc autem quaestionem communiter Doctores non ita distincte tractant, sed aut alterutram partem supponunt aut confundunt cum illa quaestione; utrum habitus caritatis augeatur per quosvis actus caritatis quantumvis remissos, an verò solum per actus habitu intensiores. vt patet apud Turrian. 2. 2. disp. 68. dub. 3. Vasq. 1. 2. disp. 220. Suarez in 3. p. tom. 2. disp. 18. sect. 4. & c. Quae tamen difficultates sunt valde diuersae: nam etsi dicamus habentem habitum vt 100. eliciendo actum caritatis vt sex, mereri ac statim recipere augmentum habitus caritatis, non est tamē necesse nos dicere eum recipere augmentum sex graduum: nam vt illa sententia sit vera, sufficit eum accipere vnum gradum augmenti, aut etiam decimam partem vnus gradus. Nam, vt docet Suarez supra, etsi per alios actus virtutum mereamur augmentum caritatis, illudque statim recipiamus; non tamen per actum vt sex recipimus sex gradus caritatis, sed pauciores, vt etiam fatentur ij, qui dicunt nos per actum caritatis vt 6. augere habitum vt 6. Et ratio est clara, quia cum actus caritatis sit melior magisque meritorius quam actus aliarum virtutum; non debet per hos tantum augeri habitus caritatis, quantum per illum.

Quidam igitur docent, per quosvis actus caritatis augeri habitum caritatis tot gradibus quot habent ipsi actus, & consequenter per actum intensum vt sex, eum semper augeri sex gradibus. Probatur Primò, quia Deus nobis numquam in dilectione cedit, sed saltem tantum nos diligit quantum nos diligimus ipsum; ergo cum eius dilectio sit efficax, diligenti ipsum v. c. vt sex semper infundit habitum gratiae siue caritatis vt 6. Secundò, quia Deus peccatori qui primò iam conuertitur, per actum dilectionis vt sex infundit statim habitum vt sex: ergo similiter iusto elicienti actum caritatis vt sex statim infunditur augmentum habitus vt sex: nec enim villo modo videtur probabile iustum ob actum caritatis æquē intensum recipere pauciores gradus gratiae, quam recipiat peccator. Antec. probatur: quia aliàs si talis post illum actum statim moreretur, sequeretur, eum intensius amasse Deum in via, quam amet in patria; quia cum in patria non haberet habitum intensum vt 6. non posset Deum amare vt 6. illud autem est absurdum: ergo & id vnde sequitur.

Alij verò contrà generatim docent, per actum, v. c. vt sex, numquam acquiri sex gradus habitus. Ita Malder. 2. 2. q. 24. a. 4. dub. 3. concl. 4. & quidam alij.

Probat id Malderus, quia incredibile est nos

P p ita

Non omnia que aliqua ratione plus quam solo numero differunt, specie differunt. Quid requiratur ut ali qua inter se specie differant. cū calore vt vnum; quia ille ab hoc magis differt, quam à calore vt duo. Item hominem magnum differre specie à paruo; quia plus ab hoc differt, quam à paruo. Item lineam trium pedum differre specie à linea duorum pedum; quia illa plus differt ab hac, quam à linea trium pedum. Quae omnia absurda sunt. Vt igitur aliqua inter se dicantur specie differre, non sufficit quod differant perfectione; sed requiritur vt habeant essentiam omnino diuersae rationis; quam ex proprietatibus aut effectibus colligimus, quando scilicet hæc non solum se mutuo perfectione aliqua superant, sed sunt inter se omnino diuersae ac repugnantis rationis: quod tunc maxime accidit, quando vnus effectus nequit ad alterius perfectionem proficiendo peruenire siue perducere, & perfectior priorem destruit. Gradus autem inferior non est naturae omnino diuersae ac repugnantis cum gradu superiore; sed natus est ab eo perfici, & aliquid absolute vnum cum eo conficere, atque ita ad eius perfectionem pertingere. Quamuis autem non possimus tam præcisè ac clarè definire, ac ostendere quamnam differant specie, & quæ solo numero; vt ita omnibus clarè ostendamus quamnam hoc vel illo modo differant; & quare potius hæc quam illa: quia naturae omnes ac differentiae rerum non sunt nobis ita perspectae; tamen idè à communi sensu & modo loquendi non est recedendum, nec absurda supra allata sunt admittenda.

Ad quintum, nego anteced. nam nihil potest dici alterum eminenter continere, quando ab hoc in existendo & operando necessariò dependet gradus autem posterior ita dependet à priore, siue quo, saltem naturaliter, nullo modo potest existere. Et quamuis fortè virtute diuina possit supernaturaliter existere sine priore, non posset tam perfectè & modo sibi connaturali operari.

Ad sextum, Respondeo hoc argumentum tam illos premere quam nos, quia etiam ipsi fatentur, & clara experientia docent, multa lumina remissa vicina alicui corpori, quod simul omnia illuminant, non posse in eo producere lumen intensius eo, quod intensissimum est in illuminantibus. Quare dicendum, illud lumen ita intensum produci immediatè à sole alioque corpore luminoso, quo speculum illuminatur, quodque lumen perfectius in se continet: speculum autem solum esse conditionem requisitam vt vis actiua solis aut alterius lucis tali puncto ita fortiter applicetur, prout requiritur vt in tali distantia tantum lumen producat, quantum in alijs locis non producit, quia ipsi ita non applicatur. Quamuis negandum non sit, lumen receptum in speculo vt causam partialem etiam effectiue concurrere ad productionem illius luminis: quia nihil vetat causam partialem producere effectum se perfectiorem, quando iuuatur ab alia perfectiore ipso effectui.

Coninck de act. supernat.

51

Turrian.
Vasquez.
Suarez.

Suarez.

52

53

Malderus.